

que nobis tribuit. pro posse nostro retribuere curabimus. Unde tam ceteris ad exemplum bonitatis quam mihi ad subsidium salutis. concedimus sororibus. octo octingas. in riseberge. IIII. octingas. in sneuerwý. IX. octingas. in fuelstaht. II. octingas. in gilbergh. uillam quandam iuxta horebro que uocatur lotetphorp ibidem locum molendine & dimidietatem ex omni captura piscium que pertinet ad ana. in mosebuy. VI. Octingas. duo in ruuinge. I octingam in piscatione wermelandie.

Qui uero has deo dicatas terrarum appenditiones improbo ausu irrumperere presumerit. nostras & filiorum meorum atque parentum ultiones se passurum sciat. & dei atque omnium sanctorum excommunicationi subiaceat.

På frånsidan: littera de Vermeland. Sigillet finnes.

824.

1180:talet—1202.

BIRGER JARL I:s Bref till Lagmannen i Wermeland om sin andel i Laxfisket, som gifvits till Risaberga kloster.

A. 3. n. 1: 5.

B. dei gracia dux sueorum. legis latori .A. ceterisque dei amicis in wermelandia degentibus. salutem & amiciciam. Notificamus omnibus presentibus & futuris huius terre incolis. me dedisse perpetuo dono sororibus in risebierh manentibus totam partem quam possedi in piscatione salmonum in wermelandia deo ad honorem mihi autem ad eternam retributionem. Si quis uero ignotorum uel notorum. hanc ab eis auferre conatus fuerit. iram dei & uindictam omnium sanctorum sibi acquirere pro certo sciat; Valet.

På frånsidan: littera de wermeland; med annan hand: raas ffors. Sigillet bortfallet.

825.

1191—1192.

Påfv. CELESTINUS III:s Befallning om undersökning och afgörande huruvida Svenska Drottningen, utan afseende på ett under sjukdom gjort löfte att ingå i kloster, borde till sin Gemål återställas.

K. t. 2: 877.

CELESTINUS III. Karissimus in Christo filius noster R. Rex illustris Sueuorum Apostolatui nostro literis & nuntio humiliter nuntiauit, quod cum esset adolescens & dilecta uxor ejus juuencula, mutua fide voto contrahendi legitimi matrimonii se adstringentes, invicem consensum suum, accedente voluntate Parentum, arrarum donatione roborauerunt. Postmodum vero claræ memoriæ N. Patre suo ab inimicis occiso, cum [per bellorum aduersitatem] undique premeretur, & habito cum hostibus suis congressu vi-

ctus fugatusque fuisset, quia timebat, ne ipsa sponsa ab inimicis suis per violentiam raperetur, & alia similis ei non inveniretur in regno, quam sibi posset matrimonialiter copulare: de suorum & ejusdem sponsæ parentum consilio factum est, quod in conventu habitum Sanctimonialium monasticum sine proposito perpetualiter retinendi suscepit, & ibidem per aliquot annos moram fecit, ne, quid ab inimicis injuriæ pateretur, quam cum pace redita & obtento ab inimicis triumpho solenniter duxisset cum grandi exultatione uxorem & ab ea filios suscepisset, unum eorum de communi consensu & electione Principum Sueviæ in Regnum sibi instituit successorem, procedente vero tempore, prædicta uxor graui infirmitate correpta, cum se de hac vita crederet recessuram, timore mortis inducta continentiam vovit, cumque Rex ipse nollet eam contristare, concessit ad tempus, nunc autem se continere proponit non posse, & quod licite posse fieri arbitratur ad thorum uxoris suæ redire cupit, & ad reprimendas æmulum suorum detrectationes & obloquia, petiit a nobis dari sibi in mandatis, ut uxorem suam auctoritate nostra maritali affectione pertractet, non obstante voto continentiae incaute ab ipsa emisso, & ab eodem Rege ad tempus approbato. Verum quia super his Nos ad plenum non potuimus elicere veritatem, F. T. cognitionem horum & decisionem canonicam duximus committendam per A. s. m. ut super his inquiratis diligentius veritatem, & si vobis constiterit, quod prædicta mulier primo fuit inter moniales recepta timore violentiæ, & rapinæ, & propositum profitebatur se habuisse nubendi, cum inter eas moram faceret, præsertim cum postmodum in facie ecclesiæ publice Regi nupsisset, & usque ad hæc tempora cohabitando filios ex ea suscepit, eam denuntietis præfato monasterio non teneri. Non enim factum illud contractum matrimonii potest dirimere, etsi forte posset matrimonium contrahendum impedire. De alio vero ita solícite discretio fraternitatis vestræ discutiat, quod si inueneritis eandem graui infirmitate depressam continentiam vovisse & virum ejus ad tempus præbuisse consensum, maxime si non idem vir peræque continentiam voverit perpetuam, eandem viro cohabitare faciatis, & invicem utrumque maritali affectione tractare.

826.

1198—1200, 1223—1234.

Årke-Bisk. Olors i Upsala Gåfvobref på Husby till Kanikerna i Upsala.

A. 3. a. 1: 1.

Vniuersis catholice matris ecclesie filiis tam presentibus quam futuris suethie regnum inhabitantibus. O. superni regis miseracione sacrosancte upsalensis ecclesie archiepiscopus in eo qui omnium est salus salutem & magis